

ribus modis ad caeli mores solique ingenia. In Cam-
 pano agro populis nubunt, maritasque complexae
 atque per ramos earum procacibus bracchiis genicu-
 lato cursu scandentes cacumina aequant, in tantum
 sublimes ut uindemitor auctoratus rogum ac tumu-
 lum excipiat, nulla fine crescendi, uidiq̄ue iam por- 11
 ticus, uillas et domos ambiri singularum palmitibus
 ac sequacibus loris. Quodque memoria dignum inter
 prima Valerianus quoque Cornelius existimauit, una
 uitis Romae in Liuiaie porticibus subdiales inambu-
 lationes umbrosis pergulis opacat, eadem duodenis
 musti amphoris fecunda. Vlmos quidem ubiq̄ue 12
 exsuperant, miratumque altitudinem earum Ariciae
 ferunt legatum regis Pyrrhi Cineam facete lusisse in
 austeriorem gustum uini, merito matrem eius pen-
 dere in tam alta cruce. Rumpotinus uocatur et alio
 nomine opulus arbor Italiae Padum transgressis,
 cuius tabulata in orbem patula replent puroque per-
 ductae dracone in palmam eius inde sub rectos
 ramorum digitos flagella dispergunt. Eaedem modici 13
 hominis altitudine adminiculatae sudibus horrent,
 uineamque faciunt et aliae improbo reptatu pampi-

id est arborum quae subduntur uitis et sunt in Italiae